Quelle: https://manuscripta.at/?ID=1002
Copyright: Klosterneuburg, Augustiner-Chorherrenstift



Qui cum maiestatem tuam laudant angeli adorant dominationes
tremunt potestates. Celi celorumque virtutes ac beata seraphim socia exul
tatione concelebrant. Cum quibus et nostras voces ut admitti iubeas de
precamur supplici confessione dicentes. Sanctus sanctus sanctus

Vere dignum et iustum est. In paschate domini prefatio.
equum et salutare. Te quidem deus omni tempore sed nunc hac po
tissimum die gloriosius predicare cum pascha nostrum immolatus est christus
Ipse enim verus est agnus qui abstulit peccata mundi. Qui morte nostra
morte destruxit et vitam resurgendo reparavit. Propterea
cum angelis et archangelis cum thronis et dominationibus. Cumque omni
milicia celestis exercitus ymnum gloriae tue canimus sine fine dicentes

Vere dignum et iustum est. In ascensione domini prefatio.
equum et salutare nos tibi semper et ubique gratias agere. Domine sancte
pater omnipotens eterne deus. Per christum dominum nostrum. Qui post resurrectionem suam
omnibus discipulis suis manifestus apparuit et in conspectu eorum est elevatus in celum ut nos divinitatis sue tribueret esse participes
Et idcirco cum angelis et archangelis cum thronis et dominationibus. Cumque
omni milicia celestis exercitus ymnum gloriae tue canimus sine fine
dicentes. Sanctus sanctus sanctus. In festo pentecostes prefatio

Vere dignum et iustum est equum et salutare nos tibi semper et ubique
gratias agere. Domine sancte pater omnipotens eterne deus per dominum nostrum. Qui ascendens
super omnes celos sedensque ad dexteram tuam promissum spiritum sancto hodierna
die in filios adoptionis effudit. Quapropter profusis gaudiis to
tus in orbe terrarum mundus exultat. Sed et superne virtutes atque ange
lice potestates ymnum gloriae tue concinunt sine fine dicentes. Sanctus sanctus

Vere dignum et iustum est. De sancta trinitate prefatio.
equum et salutare nos tibi semper et ubique gratias agere. Domine sancte pa
ter omnipotens eterne deus. Qui cum unigenito filio tuo et spiritu sancto unus es
unus es deus non in unius singularitate persone sed in unius trinitate
substantiae. Quod enim de tua gloria revelasti credimus hoc de filio tuo hoc de